DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

9

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICHARDUS GAMBLE, A. B.

HIBERNUS,

SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SODALIS.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

Sit mihi fas audita loqui——————

VIRG.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1805.

EDVARDO BARLOW, M. D.

COLLEG. REG. CHIRURG. HIBERN. LICENTIAT.

RICHARDUS GAMBLE.

Tibi, amice, qui ad fanum Æsculapii mihi viam monstravisti, rector æque ac comes, hoc tentamen (primum quod in re medica sumpsi) lubentissime dico. Hoc opusculum, monitis cœptum tuis, confeci rudis atque imperitus tempore quo vix in vestibulum intraveram; nunc arte salutifera melius instructus, illud tua attentione dignius, famæque meæ minus iniquum forsan reddere possem: sub hac forma tamen non mihi videtur pretium curæ. Accipe, igitur, tua comitate donum, profecto exiguum, at animo devincto oblatum. Nostræ amicitiæ testimonium, sempiterna maneat utinam hæcce pagina!—De sequentibus parum solicitus nec curo, neque rogabo.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA.

RICHARDO GAMBLE, Auctore.

PROŒMIUM.

IN hac dissertatione, mihi in animo est de Scarlatina tum simplice, tum anginosa, et de Cynanche Maligna, utpote ejusdem generis varietatibus, disserere. Huic sententiæ adversari Cullen, Burserius, Withering, aliosque auctores claros haud inscius sum. Omnia argumenta, quæ de hac re in medium protulerunt, perscrutari non operæ fuerit pretium; attamen speciosissima refellere non prorsus supervacaneum videtur.

Cullen ait "Certe enim, testibus Sydenhamo et aliis, Scarlatina simplex, sive nulla comitante Cy-

 nanche,

nanche, aliquando observata fuit et datur *."—Esto; sed non sequitur conclusio "itaque contagio quædam specifica efflorescentiam cutis Scarlatinam et hanc absque affectione quadam cynanchica gignens." Iterum notat "cum tamen contagiones istæ ita differe possint, ut altera cutem, altera fauces magis et primario afficere proclivis sit, hanc differentiam inter Scarlatinæ et Cynanchis Malignæ contagionem semper inesse puto." Harum observationum solertium vim totam labefacit res facta, nam bene cognitum est eandem contagionem genuisse in eadem familia Cynanchem malignam exquisite designatam æque ac Scarlatinam mitissimam. Insuper adjicit Cullen "In morbo epidemico, quem pro Scarlatina habui, aliquot ægrotantium sine Cynanche quacunque erant."—Certe ita res se habet; Cynanches vero malignæ etiam exempla occurrere scimus sine ulla cutis efflorescentia; cæterum, in talibus exemplis, exoriri morbum e contagione concitanti symptomata usitata dissimili non colligimus.

Tantummodo probavit Withering (ut opinor) morbum, de quo tractamus, tempestate, situ,

* Synop. Nosol. Method. vol. ii. p. 138.

situ, aliisque rebus adventitiis ita variari posse, ut nunc grassetur Scarlatina, nunc Cynanche Maligna. Synocham comitari Scarlatinam, febrem vero in Cynanche Maligna esse typhoidem asserunt opinionis Cullenianæ fautores. Hoc in omnibus casibus non verum est; sed sit sane, attamen contagionum differentia non inde arguere potest; nam in morbis nonnullis, scilicet Variola, Rubeola, Peste sæpe accidit idem.

Scarlatinæ historiam literariam scribere, vel epochas quibus apparuit morbus enumerare, hujus dissertationis limitibus haud consentaneum videatur. Sufficiat memorare, primó observatum esse in Hispania sæculi decimi septimi initio, deinde terrarum orbem pervagatum. In hac insula, symptomata methodumque medendi primus accurate monstravit Fothergill. Longe ante Sydenham profecto febriculam cum efflorescentia rubra, cui nomen Scarlatina imposuit, descripserat, verum de ejus natura nil certi habens, silentio prætereundum esse judico.

Etsi mihi satis pateat una eademque causa excitante gigni tres species supradictas, tamen

perspicuitatis gratiâ, eas maxima ex parte separatim tractare propono.

HISTORIA MORBI.

Plerumque late grassatur Scarlatina, et semper contagiosa habita est. Variis annis, plagisque variis multum differunt signa. Nunc adeo vehementia ut auxilium artis superent; nunc adeo lenia ut viribus naturæ facile cedant. Quinetiam in eodem epidemico ita variant ut historia omnes quas morbus induit formas complectens tradi nequeat, attamen secundum ordinem prædictam aggrediar.

In Scarlatina simplice cernitur species mitissima; rigore leni incipit, cui calor auctus subsequitur; tunc superveniunt languor et lassitudo, perraro nausea vel vomitus. Die secundo vel tertio, cutis (præcipue pectoris et extremitatum superiorum) rubet solita magis, tument manus et rigidi fiunt. Interdum erumpit efflorescentia (Anglice *Rash* dicta) super corporis partes rubescentes,

bescentes. Hujus ruboris accessu mitigantur signa febrilia, et halitu cutis (qui antehac imminutus, forsan prorsus impeditus fuerat) restituto ac sudore profluente, penitus removentur. Post paucos dies, tres scilicet vel quatuor, evanescit rubor, cuticula in squamulas furfureas abeunte, et valetudini integræ cito appropinquat æger.

In Scarlatina autem anginosa plerumque ab initio, certe in progressu, signa multo magis formidanda apparent. Inter præmonentia, notatu digniora videntur facies pallida ac mœsta, animus demissus, pulsus aliquantum citatus, lassitudo, sensus rigiditatis in gutture et tensionis musculorum ad humeros pertinentium, quasi hi funibus ligati fuerint. Hæcce signa horrori aliquot horis (etiam aliquot diebus, ut quidam dicunt) præiverunt. Sed plerumque de morbi accessu monemur capitis dorsique dolore, cui cito supervenit horror, dein calor; hi iterum iterumque alternant; demum permanet omnino calor plurimum auctus. Tunc subsequuntur anorexia, nausea, et frequenter vomitus. De sensu doloris in gutture, seu potius de molestia orta ex musculorum cervicis rigiditate conquæ-

ritur

ritur æger; haud facile deglutit; labore spiritum ducit frequenter suspirans *; siti vexatur; halitum labia urentem efflat; et voce submissa vel absona loquitur. Pulsus arteriarum celeres, parvi, et debiles; in exemplis nonnullis pleni ac duri fiunt. Cutis, tactui sicca, in partibus diversis angitur quasi acubus pungeretur. Lingua ad apicem marginesque rubra et humida, ad interiorem partem (præcipue radicem versus) sicca et plus minusve subfusco muco obducta apparet. Faucibus internis inspectis, velum pendulum palati, uvula, tonsillæ, et œsophagus rubore nitentes, sæpe crustis mucosis sparsim albescentes reperiuntur, sed ulcera raro tegunt hæ crustæ. In plurimis casibus occurrunt, die primo vel secundo ab accessu morbi, symptomata modo memorata. Sub vesperam pleraque omnia ingravescunt, ægri multum per noctem vigilant, persæpe delirant, interdum sunt semisopiti, vel etiam sopore alto oppressi. Hæ exacerbationes vespertinæ per totam morbi decursum insignes notantur. Die tertio (citius tardius) facies, cervix, pectus, et brachia rubescunt; paulatim afficiuntur similiter extremitates

* Raro acceleratur respiratio in eadem ratione ac pulsus.

extremitates inferiores. Interdum rubor per universam cutem diffunditur, totumque corpus tumet; in omni fere exemplo partes rubentes quodam tumore laborant, digiti præsertim, qui insuper rigidi fiunt. In speciem variat magnopere cutis. Nunc sine ullis pustulis aut aspretudine rubet; nunc maculis interstinguitur, aut in lentigines elevatur: in plerisque autem, tactui levis late et equaliter rubore inficitur, quasi succo fructus Rubi Idæi inquinata. Hicce color, cute pressa, evanescit; pressura remota, statim viget. Rubore superveniente raro tollitur aut levatur, sæpe acerbatur morbus. Nausea vomitusque maxima ex parte cessant, calor vero, anxietas, et circum præcordia oppressio augentur. Oculi rubri et inflammati fiunt; ab ore naribusque humor acer sæpe profluit; et mucus viscidus faucibus ac gutture collectus interdum vocem supprimit, interdum respirationem impedit multum. Nunc pervigilium vel delirium ægros vehementius vexat; alioquin opprimit torpor vel coma. Morbo sic progrediente εισ ακμην, intra triduum quatriduumve partes rubentes detument, fuscus fit gradatim color cutis, decrescit calor, minuitur sitis, cibi appetentia redit, tranquillus evadit somnus,

somnus, et cuticula decidente æger tandem convalescit. Eodem tempore crustas exeunt partes faucium affectæ; et si exulceratæ sint, pus sanum emittunt, ac cito medentur.

Species tertia (Cynanche Maligna), quamvis a Scarlatina Anginosa principio parum differat, in progressu tamen periculosior evadit, et in eventu multo magis lethifera.

Faucium gutturisque conditio (unde huic varietati derivantur et nomen et character) accurate describi postulat. Cum has partes incipiente morbo inspiciamus, ruborem nitentem late diffusum cernimus, sedulo scrutantibus reperiuntur maculæ pallidæ passim sparsæ. Hæ brevi albæ vel cinereæ fiunt, serpunt ac coalescunt, tandem crustas (Anglice *Sloughs* dictas) exeunt; tunc deteguntur ulcera sordida sine pure, modo superficiaria, modo alte erodentia. Hæc præsertim occupant velum pendulum, tonsillas, uvulamque, frequenter autem ad œsophagum tracheamve serpent. Interdum exulcerantur lingua, (radicem versus præcipue) gingivæ, malæ internæ et nares. Eodem modo affici tubas Eustachianas haud absimile videtur, nam

nam ab auribus quorundam ægrotantium libere profluxit sanguis, aut sanies, testantibus Fothergill et Withering.

Faucibus aliquandiu affectis modo jam nunc descripto, sanies acris ab ore nasoque fluit, labia et nares, frequenter imo omnes cutis partes super quibus vel brevi manserit erodens; interdum per intestina iter faciens diarrhœam gignit, et ani cluniumque excoriationes efficit. Dum sese extendunt faucium ulcera, spiritus fætet, virusque tetrum participat larynx; unde spirandi difficultas, stertor, et vox rauca.

Quanquam cutis, rubore apparente, magis autem desquamente cuticula, (sicut antea memoratum est) febris aliquando remittit, et postmodo fauste procedunt omnia; tamen ut cito in pejus ruant, multo frequentius accidit. Apparent enim super partibus cutis diversis maculæ lividæ: faucium ulcuscula late serpunt atque gangræna corripiuntur: adeo fætet oris halitus ut sibimetipso ægro displiceat. Pulsus multo debiliores, celeres, atque abnormes fiunt; anxietas admodum augetur; excretiones alvi et urina inscienter red-

duntur; magis magisque franguntur vitæ vires; persistit usque coma vel delirium; æger gravi anhelitu spirat, et denique languescunt lumina morte.

Morbi, ut in plerisque observatus est, historia sic ad finem perducta, indicia quædam anomala seu minus usitata (quippe quæ ad recte judicandum vel præsagiendum de eventu haud parum prosunt) nunc obiter memorare restat.

Interdum cutis rubor non una specie vel late diffusus *, sed modo abnormi maculis albidis amplis interestinctus, et vicissim his colorem mutans, sese ostendit: interdum super cutem rubentem erumpunt phlyctænæ albidæ vel fuscæ. Modo rubor subito evanescit †, atque incedit delirium ferox; dum interea rapide sanantur faucium ulcera: modo decrescit efflorescentia pedetentim more solito; tunc iterum resurgit, iterumque decrescit. Quibusdam ægrotantibus, quanquam fusca evaserit cutis, sine halitu tamen, rigida

* Withering's Account of Scarlatina at Birmingham, in 1778.

† Willan's Diseases of London, passim.

rigida et aspera manet. Torpent oculi; os aridum, lingua subnigra aut fusca, sicca atque dura, et labia livida concisaque fiunt. Interdum ex auribus vel naribus erumpit ubertim sanguis: interdum libere profluit humor limpidus, aut pus muco commixtum. Qui sic laborant, perpauci tarde convalescunt, multi, totis viribus demum fractis, e vivis discedunt tabe lenta consumpti. Aliis repente ingruit delirium, cutis rubescit et calore uritur, mox sua fata instant. Aliis (præsertim adultis) splendent oculi ac rutilant, iridis nitor emicat, et lucem utcunque fulgidam facile pati queunt pupillæ dilatatæ *. Modo usque adeo tument glandulæ parotides ut suffocationem minitentur, imo efficiant: modo atra lue ad tracheam et pulmones serpente, morbus primarius in Cynanchem trachealem, aut in Pneumoniam veram converti videtur. Convulsionibus arripiuntur quidam, præcipue infantes. Adolescentulis nonnullis immature apparuerunt catamenia; puberibus profuse fluxere.

* Ex hoc oculorum statu accurate dijudicetur proclivitas ad delirium.—WITHERING, *loco cit.*

DE INSPECTIONE CADAVERUM.

Quod ad causas, naturam vel methodum medendi spectat, parum notitiæ medicis attulit eorum, qui hoc morbo periere, dissectio; attamen satis superque monstravit quam late sese extendunt inflammatio, ulceratio, gangræna, et sphacelus.

Crassior solita reperta est membrana Schneideriana *. Velum pendulum plane putre; tonsillæ (quamvis forsan absque ulceribus extrinsecus) interna parte lividæ et ad putredinem festinantes; uvula nunc pene exesa, nunc muco membranaceo obducta; ulcera et sphacelus † per œsophagum usque ad ventriculum, per tracheam ad pulmones descendisse observata sunt. Interdum trachea operitur crusta mucosa; interdum vera membrana investitur ut in cynanche tracheali. Glandulæ mesentericæ pariter ac lymphaticæ colli aliquando tumidæ inveniuntur.

DE

* Heberden Comment. p. 24.

† Fothergill et Cullen.

DE CAUSIS.

Huic morbo procliviores sunt impuberes quam adulti. Annos duos natis minores, vel quinquaginta majores rarissime lacessuntur. Fæminæ quam mares facilius malum suscipiant; fortasse quia hæ ægros curando contagioni magis objectantur. Vires antea fractas huic æque ac morbis plurimis homines procliviores reddere, et præmonstrat ratio, et satis comprobavit res facta.

Quatenus anni tempestas, aut temperies cœli, aut situs proclivitatem ad virus recipiendum; vel quantum polleant in eo gignendo et propagando adhuc in dubio manet. Utcunque hæc res se habeat, morbum tempestate, situ, temperie, multum variari mihi satis constat. In æstate et autumno, speciem Scarlatinæ vel simplicis vel anginosæ plerumque induit; in hyeme primaque vere, plurimum prævalent Cynanches malignæ indicia. Hæc insuper occurrunt (ut cuidam scriptori claro placet *) in locis depressis, aut humidis, aut soli vel ventis minime expositis. Has

* Withering.

Has observationes veruntamen accipere cum grano salis oportet.

Frigus, cibi intemperantia, potatio immodica, Venus nimis culta, valetudo adversa, metus; quicquid denique vel animum deprimit, vel corpus debilitat, inter causas prædisponentes recensendum est.

Auctores fere omnes (ni fallor) de contagio utpote causa unica Scarlatinam excitante commemorarunt; mihi autem videtur venenum morbidum, nullo antegresso contagio, in corpore animali gigni, ibique quendam morbum specialem, unde sicut a fonte per innumeros rivos labetur contagium, concitare posse.

Ut sic res se habeat in Typho a multis conceditur. Cur non in exanthematibus aliisque morbis qui contactu, miasmate, vel effluviis propagantur? Verum enimvero (ni fallor) aut huic opinioni assentire necesse est, aut omnes morbos contagiosos a nostris parentibus primis esse derivatas asserere: nisi quispiam profecto ad arculam Pandoræ recurrere mavult, ex qua

" ———Macies,

"———Macies, et nova febrium
Terris incubuit cohors."

Talia argumenta ampliare vel extendere haud arduum esset; attamen ea, quippe quæ hujusce opusculi scopo limitibusque minime congruerent, præcidere melius videtur.

De causa proxima varias conjecturas in medium protulerunt medici clari, ejus natura vero (ut opinor) adhuc latet in atra caligine mersa.

DE DIAGNOSI.

Scarlatinam inter ac Rubeolam haud facile dijudicantur nonnunquam indicia pathognomonica; horum attamen, præcipue si ad rationem medendi aspiciamus, discrimen permagni interest.

In Rubeola, plerumque ab initio adsunt mador oculorum, palpebrarum tumor, sternutatio et tussis: in Scarlatina, hæc plurimum desunt. In

hac,

hac, quam in illa maturius apparet cutis rubor, vigentius floret, et latius sese diffundit. In Rubeola, lentigines quasi in racemis erumpunt, perexiguæ quidem et tactu potius quam visu percipiendæ; inter hos vero racemos colore naturali conspicitur cutis: in Scarlatina, hoc raro occurrit. Angina caret insuper Rubeola.

A CYNANCHE tonsillari distinguitur Scarlatina per delirium vel coma, nauseam, vomitiones et diarrhœam, quæ hanc, etiam sub initio, tam frequenter comitantur. Causæ excitantis notitia, ægrotantis ætas diathesisque ad diagnosin veram multum conferunt. Scarlatinam (maxime Cynanchem malignam) accuratius designant febris natura, anxietas peculiaris, virium prostratio, ulcera faucium et coryza; efflorescentia autem superveniente, non diutius sub judice lis est.

ERYSIPELATI interdum refert efflorescentia Scarlatinæ; attamen illa facile dignoscitur, quandoquidem unam alteramve seligit partem, ex qua humor acer emittitur. Præterea, stupore vel veterno accessus erysipelatis sæpe primo indicatur.

AD

Ad Scarlatinam recte discernandam haud parvi momenti est, naturam morbi epidemici eodem tempore maxime grassantis in mentem habere; anne ægrotans contagio expositus fuerit (si id fieri possit) reperire; anne morbo, de quo agitur, antea laboraverit. Illi, quos semel afflixit Scarlatina, immunes ea reliquam vitam generaliter degunt.

DE PROGNOSI.

Quanquam historia morbi jam tradita ad recte judicandum de eventu nos ducere possit, tamen de prognosi perpauca annectere haud inutile videtur. Imprimis observandum est quo exquisitius speciem Cynanches induit morbus, tanto magis lethale; quo magis vero ad formam Scarlatinæ simplicis appropinquat, tanto lenius evadit. "Hoc morbi nomen, vix enim altius assurgit," (species simplex scilicet) periculo plurimum vacat.

Faustam terminationem prædicere licet tam in anginosa, quam in maligna, si corporis con-

stitutionis firmæ natura sit æger; si cutis rubor late diffundatur, uniusmodi, constans, biduum triduumve permanens, et faciem artusque potius quam corporis truncum occupans; si febris remittat, incipiente adhuc rubore, et postea magis magisque decrescat, dum interea sese extendit atque modo solito recedit rubor. Si sudor, viribus nondum fractis, sine artis auxilio erumpat modicus et generalis, et post fluat minime interruptus; si tumor dolorque faucium ac gutturis lenes sint vel brevi minuantur; si respiratio parum impediatur; si denique perraro spargantur et cito sanentur ulcera. Sensorium imperturbatum, vocem sonoram, sitim modicam signa inter benigna enumerare licet.

Cum vero, ineunte morbo, sæviat febris, et delirium vel coma invadant; cum vires repente prosternantur; cum efflorescentia subito retrocedat, vel maculæ lividæ sparsim sese ostendant; cum cutis fiat sicca, subnigra et dura, vel sudores gelidi ægrum irrorent viscidi et partiales; cum ulcera faucium late serpant, alte erodant, et ad gangrænam rapide ruant; cum denique fæces virides et valde fætidæ fiant, vel inscio ægro

gro demittantur, et diarrhœa pervicax maneat, tum mors celeri passu instat, et vix eluctabile fatum.

DE RATIONE MEDENDI.

In Scarlatina curanda tria consilia medico sese offerunt. 1*mum*, Progressum intercipere, catenationem morbosam præveniendo. 2*dum*, Impetum temperare, symptomata leniendo. 3*tium*, Debilitati ac putredini occurrere, sustentando vires vitæ.

Ad primum consilium magnopere laudantur remedia duo, et eorum utilitatem satis comprobavit experientia.

Emetica—Ex iis anteferenda est *Tartris Antimonii;* seu potius *Ipecachuanha*, quippe quæ tuto et cito vomitionem plenam ciet, ac insuper ad morbum decutiendum, systema commovet. Quanto maturius, tanto efficacius datur. Exhibeatur semel, vel forsan iterum, si nausea perstiterit. Emeticorum vero crebra repetitio inu-

tilis mihi videtur, imo perniciosa; quippe quæ ægrum vexat ac debilitat: præterea, ventriculum irritat magisque ad evomendum proclivem reddit.

Aqua, frigida præsertim—Hocce remedium simplex, sed morbum ad sistendum, me judice, potentissimum, partibus corporis externis in curatione Scarlatinæ a Doctore Gerard (quantum scio) primo adhibitum est, duobus in exemplis, eventu felicissimo *. Postea a Doctore Currie frequenter usurpatam esse, successu simili, noster Professor Gregory suos auditores certiores fecit. Effectus suos præstantissimos edit aqua frigida, cum corpori nudo affundatur secundum monita methodumque Doctoris Currie de Typho tractantis.

Quandoquidem multum exacerbatur febris ad vesperam, tunc affusio frigida maxime tempestiva erit. Fortasse magno cum fructu adhibeatur

* Currie's Medical Reports, 2d edition, 1798.—Istius libri editio tertia nondum in lucem prodierat, quo tempore compositum fuit hocce opusculum.

beatur in stadio quolibet; dummodo corporis calor monstrante thermometro sit stabilis et naturali major, nullusque sensus frigoris ægrotanti adsit, atque nondum eruperit sudor. Si verum progrediente morbo calor minus intensus fiat, dum crescunt anxietas, debilitas, et alia signa febrilia, magis consentanea videtur aqua tepida lavatio, vel ejusdem affusio. Anginæ vel Pneumoniæ indicia, quæ in hoc morbo sæpe occurrunt, affusionem, vel lavationem frigidam interdicere videantur; ex usu tamen didicimus hæc remedia talibus in exemplis sine ulla injuria, imo magna cum utilitate, adhiberi posse: Quod multis catarrho contagioso correptis obvenire, curante Doctore Jacobo Home, egomet in Nosocomio Regio Edinensi frequenter vidi.

REMEDIA quæ consilium secundum postulat nunc recensenda sunt.

DETRACTIO Sanguinis—Etsi in Scarlatina anginosa species febris, fauciumve tumor venæ sectionem indicare videantur, veruntamen hoc remedio uti circumspectione summa omnino necesse est. Siquando faucium vel colli inflammatio,

tio, delirium ferox, aut coma cum pulsu pleno ac duro sanguinis missionem postulat, applicentur hirudines partibus affectis, vel cucurbitulæ cruentæ temporibus. Quovis in exemplò forsan, detractio sanguinis specialis generali anteponenda est. Hæc vim vitalem minuit; illa, quod systema opprimeret, removet.

Crusta coriacea, quam sanguis in hac morbi specie emissa sæpissime ostendit, prudentem nequaquam impellat, experientia obstante, eum copiose detrahere. "Utilissimum profecto medico signum est" (nempe crusta) "quamvis multum absit, ut ad illud solum respicere debeat *."

In Cynanche maligna talis est proclivitas ad debilitatem et putredinem, qualis venæ sectionem prorsus vetat. Si detractionem sanguinis unquam exigeret faucium vel capitis affectio, ope hirudinum tutius fieri potest.

Epispastica ad fauces collumque applicata non mediocriter prosunt; quoniam vero eorum usu, testante Withering, sæpe acceleratur vel aggravatur

* Gregory Conspectus Med. Theor.

aggravatur delirium, forsan ea hirudinibus permutare licet.

Cathartica raro indicantur, alvo vel regulari vel nimis soluta ut plurimum existente. Si judicatum fuerit nihilominus, ex historia casus, e tensione vel dolore abdominis, fæces in parte intestinorum superiore retineri, tunc purgantium lenium ope alvum movere non modo licebit, verum etiam prorsus necesse erit. Si demittantur fæces virides vel subnigræ, idoneum catharticum videtur *Submurias Hydrargyri*, aut solus, aut *Rheo palmato*, vel *Convolvulo Jalapâ* conjunctus. Plerumque autem in omni specie morbi enemata ad dejectionem regularem, quotidianam scilicet, comparandam sufficient.

Diarrhoea (signum molestum æque ac infaustum) quamprimum cohibenda est medicamentis astringentibus, vel absorbentibus, vel opiatis. Hos fortasse purgatio alvi lenis alternare oportet. Eodem pertinent (ni fallor) liquores mucilaginosi in ventriculum recepti; quippe qui et hoc viscus et intestina tueri aliquatenus valeant,

ne

ne ea nimis irritet faucium humor acer per œsophagum descendens.

Sudor vix sine periculo elici potest; attamen si sponte modo jam descripto eruperit, criticus, vel saltem propitius habeatur, atque per *diaphoretica* et *diluentia* fovendus. Si cute sicca calor intensus persistat, haud parum proderit affusio vel lavatio frigida. Cum vero pariter decreverint et morbus et calor, lavetur totum corpus aqua tepida; sic enim decident facilius squamæ, et cutis halitu instaurato, Anasarcæ, quæ Scarlatinam sæpe excipit, aliquatenus occurretur.

Gargarismata sunt sedulo usurpanda ad sordes e faucibus abluendas: hoc modo, ne fluxio acris in ventriculum ac intestina descendat, ibique inflammationem aut diarrhœam excitet, quantum fieri potest, præcavemus. Siquando ob ætatem teneram, aliamve causam gargarismatibus uti nequeant ægrotantes, tunc ea per syringem injici idoneum videtur: notandum est vero gargarismata sordesque simul plerumque exsorbere infantes.

Quod

Quod ad formam horum medicaminum pertinet, paucis absolvam. Exemplis in mitioribus, *vinum rubrum Lusitanicum*, vel *acetum*, utrumvis *aqua* admistum; seu *succus Citri medicæ* votis nostris satis respondebit; in gravioribus, *decoctum Cinchonæ officinalis*, cui addi potest par quantitas *vini rubri*, vel pauxillum *acidi sulphurici* maxime opitulatur: aut *decoctum hordei distichi*, *acido muriatico* acidulatum. Suadent nonnulli ut *vapores aquæ* inhalent ægri. "Omnis alia faucium curatio, ut mihi videtur, est repudienda utpote tædii multum, auxilii parum aut nihil allatura *."

Medicamentis, quæ vulgo *stimulantia*, *tonica*, et *antiseptica* appellantur, proclivitas ad debilitatem et putredinem (quæ attentionem medici in Cynanche maligna præcipue vindicat) optime sit prævertenda. Ex his, *vinum* et *cinchona* aliis, ut mihi videtur, longe antecellunt. In Scarlatina anginosa, ad vires sustinendas plerumque sufficiet *vinum*: admistum *aqua* multum commodi affert, diaphoresin promovendo. In diathesi phlogistica caute adhibeatur hoc remedium.

D Dum

* Heberden Comment. p. 27.

Dum sævit febris, multi *Cinchonam* omnino prohibent, quippe quæ inflammationem, fauciumque tumorem aggravat. In Cynanche autem maligna, longe præ cæteris huic confidere debemus. Efficacissima erit sub forma pulveris data: hoc modo, vel in decocto exhibitam sæpe respuunt aut vomunt infantes; tunc per anum est administranda.

Acida, scilicet *Muriaticum*, *Sulphuricum*, et quæ ex regno vegetabili comparantur, utpote antiseptica sæpe adhibita sunt non sine fructu.

DE REGIMINE ET DIÆTA.

Scarlatina decumbentes temperie, quam quæ Typho laborantibus convenit, calidiore servandos esse plerique medici monent: attamen quamdiu intenditur calor febrilis, vel supra gradum centesimum thermometri Fahrenheitiani permanet, libere admittendus videtur aër frigidus vel saltem frigidulus; semper proderit apertus et purus.

Si

Si febre nondum desæviente ægrotans cibum appeteret, haud denegandæ sunt *gelatinæ* ex materie animali vel vegetabili; aut *juscula*. Pro potu habeat *aquam* meram, vel pauxillo *vini* admissam, vel in quo panis tostus maceratus, aut hordeum decoctum est. Cum vero discesserit morbus, *tonica* nempe præparata ex *Cinchona* vel *Ferro*, diætaque lauta ad vires reficiendas maxime idonea videntur.

DE SEQUELIS.

Varii sunt affectus morbosi, quos utpote consecutiones Scarlatinæ tradidere auctores, Phrenesis scilicet, fatuitas, Ophthalmia, dolores rheumaticis similes, pulmonum affectiones, glandularum parotidarum ac submaxillarium tumores et suppurationes, denique Anasarca insigniter. De ultima sola, utpote sæpius occurrenti et præ ceteris notatu digna, perpauca adjungam.

Subsequitur generatim Anasarca intra paucas dies postquam penitus discesserit efflorescentia, et totum corpus plerumque afficit. Cur vero

post

post Scarlatinam proprie dictam frequenter, post Cynanchem malignam rarissime occurrit, non mihi satis liquet.

Sine artis auxilio sæpe absorbetur aqua effusa. Si vero medicamentis opus esse judicetur, ad cathartica et diuretica usitata confugiendum est. Diuretica mihi potiora videntur quippe quæ vires jamdudum deficientes minus exhauriunt.

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.